

Mali frequentia in hoc genere.

avaritia pro honestando quæstu turpissimo honestis nominibus moliatur. Demus autem non esse venditionem: at officia non dantur gratis, sed pretio accepto, & id pro re, quæ non est de domino dantis, cuius nec actio eligendi est pretio estimabilis, contra officii proprii rationem, iuxta quod Regis perfonam sine pretio tradentis officia, repræsentat, pro quo & est illius voluntas penitus explorata: ergo non licet huiusmodi contrahendi ratio, & onus restitutionis importat, quocumque nomine vestiatur. Hinc sequitur nec posse officia suis familiaribus vel aulicis dare, vt ea ipsi vendant: in quo & dantes & accipientes grauissimè peccant, & supra se onus restitutionis aslumunt, & est hoc malum vsu frequentissimum.

CAPVT VI.

Proreges an peccent ab aliis statuta mutantes.

Affertio 1. frequentia in mutationibus erasure esse peccatum.

Dico primò. Frequenter in hoc graue peccatum admitti, dum ex æmulatione durâ antecessorum, dura inquam sicut infernus, juxta illud *Cant. 8. vers. 6.* *Duratus infernus æmatio*, multa euentur benè ab illis constituta pro publicâ utilitate. In hoc enim sicut graue esse detrimentum potest, ita & graue delictum. Pro quo videnda, quæ adducit Dom. Solorzanus *Tomo 2. lib. 1. cap. 4. num. 69.* & seqq. *Lib. 2. cap. 27. numer. 76.* & seqq. *Cap. 30. num. 99.* & seqq. *Lib. 4. cap. 9. num. 33.* & seqq. & locis correspondentibus in *Politica*, præterim *Pag. 867. Col. 1.* in quibus eruditiois multum, si velint, qui terram indicant, erudiri, juxta Regi vatis monitum, *Psalm. 2. v. 10.* Vbi allegari nequit parenti in illis esse potestatem, nec antecessores eorum manus ligare potuisse. Contra hoc enim stat, etiam cum par est potestas, in eorum mutatione, quæ sunt pro communi utilitate statuta, peccari. Vnde Pontifices summi, qui omnium supremâ auctoritate præcellunt, & nullis prædecessorum statutis ligantur, ea mutare nequeunt, quando Christianæ Republicæ comoda comprobantur, sine graui conscientia reatu, quidquid de validitate mutationis fuerit. Pro quo ita loquitur S. Hilarius Pontifex (al. Hilarius) in *Cap. Nulli. 25. Quæst. 1.* Nulli fas sit sine statu periculo, vel diuinæ *Constitutiones*, vel *Apostolice Sedis decreta temerare*; quia Nos, qui potestissimi Sacerdotis administramus officia, talis transgressionis culpa respicit. Et Diuus Gregorius Magnus *Lib. 12. Registr. Epistol. 31.* & habetur in *Cap. Siea, Quæst. 2. Causa citata*, ita scribit: *Siea desiruerem, quæ Antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed eversor esse, si sed comprobaret, testante Veritatis voce (Lucæ 1.1.) quæ ait: Omne regnum in se ipso diuisum, non habet; & omnis scientia & lex aduersum se divisa destruetur.* Sic ille. Nec præterea alia eiudem sententia citatis *Causa & Quæst. adducta*, in *Cap. Institutionis*, & sic habet post alia: *Nisi est afferum, & præcipit bonis Sacerdotum moribus inimicum: nisi quæpiam, quantumcumque rationis excusatione, que benè sunt ordinata, rescindere, & exemplo docere ceteros, sua quandoque posse instituta*

Possunt & in eo genere peccare Pontifices.

S. Hilarius Papa.

D. Gregor. Magnus.

dissoluere. Hæc ille: qui dum præcipuè Sacerdotum moribus inimicam pronuntiat mutationem; ad alios etiam significat mutationem talium incommoda pertinere: vt & Proreges caueant, nec levitate, aut præsumptione, sive æmulationis imperio, ad euertenda, quæ benè sunt instituta, procedant.

Secundò. Dico secundò. Proreges Indici ad præfata specialiùs obligantur. Id ostenditur: nam in conuersione huius noui mundi adhuc sumus, ad quam omnia alia, quæ in illo aguntur, debent fieri ad finem præcipuum destinari: Atqui ad hoc satis incommoda est variatio dicta: ergo nequæ sine peccati labe perpetrari. Maior est certissima, & Minor ostenditur: nam adificando passim, & destruendo, nihil firmum relinquuntur, supra quod spirituale possit ædificium assurgere; & qui gubernationi spirituali juxta curam ab Apostolicâ Sede commissam, in primis debent attenderi, huiusmodi mutationibus superuacuis distinxuntur. Pro quo est Diuus Pauli doctrina, *1. Cor. 3. vers. 3.* sic scribentis. *Cum enim sit inter vos zelus & contentio, nonne carnæ estis, & secundum hominem ambulatis?* Vbi ergo ob zelum & contentionem benè disposita reiciuntur, & sic agentes carnæ sunt, spirituale nequæ negotium promoueri. Et de eo quidem loquebatur Apostolus, Corinthios admonens eo pacto negotiū fidei nimirum quantum impediri. Vnde & *v. 1. Cor. 3. v. 1. Ibid.* sic præmiserat. *Et ego fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus; subdit postea vers. 9. Dei enim sumus adiutores: Dei agricultura estis, Dei adiunctio estis.* Vbi terra crebris mutationibus quatitur, nequeunt semina cum spe fructus aliqui committi. Cum in ædificio factis infecta succedunt, id accedit, quod à Siracide dictum, *Ecli. 34. vers. 28.* *Vna adiuncta, & unus defruens, quid prodeat illis nisi labor?* Fatendum ergo est mutationes dictas nimis incommodare causæ conuersionis: & zelum carnalem, de quo Apostolus, zelo fidei & Religionis valde esse contrarium: ille durus, sicut infernus damnationis & perditionis regioni infelicissimè destinatus; hic sicut colum, Dei gloria propaganda semper intentum, vt David Clamat: *Celi enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum, Psalm. 18.* Circa hoc autem nequit ad particulari descendit, in quibus est juxta occurrentes circumstantias judicandum; eas prouidi Confessarii diligunt, & pœnitentes suos ne vereantur serio & intelligibiliter admonere.

CAPVT VII.

Vt debeant Indici Proreges Regionum Auditorum consilium adhibere.

Dico primò. Debere quories res existit, eo quod momenti magni sit, nec sine consilio possit conuenienter expediri. Et de consilio adhibendo res est clara: quod autem Auditorum, ex eo ostenditur, quia tales à Rege sunt eidem Consiliarii designati, vnde & de Consilio Regis esse dicuntur: pro quo & extant Regia mandata in eorum instrutionibus,

Affertio 2. Proreges Indicos spe- cialius ob- ligari.

Proreges ut debeant Auditorum consilium adhibere.

*tionibus, de quibus Dom. Solorzanus Tomo 2. Lib. 4. Cap. 3. num. 38. & Cap. 9. num. 37. & in Politicâ pag. 767. & 866. Vnde & ipse Lib. 2. Cap. 7. num. 50. & in Politicâ pag. 302. Col. 2. cum Matienzo in *l. 5. Recipiat. Titulo 10. Leg. 5. Glossa 1.* præceptum circa hoc agnoscit, de quo non videtur esse posse dubitatio.*

Affertio 2. 54. Dico secundò. Peccatum in casu dicto mortale est ex genere suo. Probatur, quia se exponere errandi pericolo in negotio graui ad bonum commune spectante, aut etiam priuati alicuius, ad curam eius, qui deliberat, pertinentis, graue peccatum est: periculi enim & danni, cuius est periculum, eadem ratio est; vnde communiter Theologi eum peccare mortaliter affirmant, qui aliquid agit, aut omitit, dubitans an mortale peccatum sit, eò quod se periculo exponat mortaliter peccandi. Pro quo videri potest Diuus Thomas *Quodlibet. 8. Artic. 13.* P. Thomas Sancius in *Opere moral. Lib. 1. Cap. 10. num. 6.* *Sayrus Libr. 1. Cap. 13. num. 3.* & alij passim, qui rationem dictam reddunt, quod scilicet se quis pericolo exponat faciendo id, quod est mortale peccatum. Præterquam quod peccatum ipsum mortale re ipsa vult, qui operatur dubius: nam sic velle operari, id est ac velle tale quid facere, etiam si mortale peccatum sit; quod non potest non esse graui Dei offensa. Quemadmodum si quis dubitans aliquem esse regem, iniuriarum inferret ipsi, absque dubio Regis est in iniuria: vult enim iniuriarum irrogare illi, etiam si rex sit: quod quidem si rex sciret, merito graui inflectione supplicij vindicaret. Pariter ergo in casu nostro, se pericolo errandi exponere in re momenti magni, graui danni voluntas est, dum amatur periculum: perinde enim est ac si dicat, qui consilium adhibere detrectat: Sic volo etiam si graue damnum ex consilij repulsione sequatur; vnde & danni ipsius voluntas intercedit.

55. Quod si dicat se sibi ad deliberandum sufficiente; id profectò magna præsumptio est. Et præterea contra suppositionem, sub quâ procedit *Affertio 3.* quod scilicet res sine consilio nequeat conuenienter expediri. Et quidem eo ipso quod magni momenti sit, ita debet iudicari, nisi quis temere agere ac precipitanter velit: quod sine graui stare nequit, nisi ignorantia exulet, quæ in Gubernatore supremo, & post experientiam sufficientia ad tale munus electo, nequit accidere, & ita nullatenus admittenda. Alios autem præter Regios Auditores, iis rebus, confulere, nequit sine graui stare eorumdem iniuria, qui in re maximè propriâ officij, quod à Rege est ipsi attributum, partui penduntur, & minus idonei ad illum iudicantur. Immò & Rex ipse videtur parupendi, qui illos ad tale munus cooptavit. Ex quo etiam fieri, vt illi in contemptum populi veniant: quod præter ipsorum dedecus, graui alia adducit incommoda, præterim in Indiis, vbi valde expedit eos in veneratione haberi: circa quæ est facile discutisse.

Affertio 3. 56. Dico tertio. Proreges in negotiis iustitia tenetur maiorem suffragiorum partem amplecti, quando ad illum etiam cognitio causæ spectat, & non sunt tantum suffragia consultiva. Id con-

stat: quia est iuxta stylum lege firmatum in Regiis Cancelleriis, vt iuxta maiorem suffragiorum partem iudicetur, non attentâ suffragantium qualitate: quamvis contingere possit, vt minor pars præferenda alia videatur, eò quod in illa vihi sint prudentiæ & doctrinæ præstantes, atque exploratissimæ probitatis.

Affertio 4. 57. Dico quartò. In negotiis statu non tenetur Prorex cum maiore suffragiorum numero consentire. Probatur. Quia in eo non videatur ita stylus præualuisse. Et præterea negotia ista non tam ex iurisprudentiæ peritiæ, & foreni praxi, quæ ex prudentiæ, experientiæ, & boni publici zelo dependent: ergo cum in minori suffragantium parte possit hoc eum excessu ad maiorem reperiri; merito poterit Prorex eidem suum assensum applicare.

Affertio 5. 58. Dico quintò. Idem dicendum est in negotiis belli, ob similem rationem.

Affertio 6. Non ita negotiis belli. Sed obiicies Regium Rescriptum Anni 1593.

in quo Proregi mandatur, vt si negotium non patiatur dilationem, teneatur. Maiestati Regis reddere rationem, cur non expedit maiori suffragiorum parti conformari, quam regulariter sequi debet in negotiis statu, belli, & iustitia. At quod respondeo, quoad alia item ceteris partibus, si videlicet Auditores tanta sufficientia sint, vt inter eos vix possit excessus deprehendi; quod regulariter debet contingere, si tales elegantur à Rege, quales pro huiusmodi muneribus exiguntur; & ita regulariter, etiam ad plura suffragia decerni; quod quando secus acciderit, ea est ratio reddenda, quæ non potest non Regi, & Regis Consiliarii satis conueniens, immò & virgens iudicari.

CAPVT VIII.

Proreges Indici quomodo debeant Regios Ministros honorare.

59. Quod debeant, & ad id obligatione conscientiæ teneantur, nequit in dubium revocari. Primarium enim & honorabilem eorum gremium est, in quo & Proreges ipsi præsident, & si honoris confortio portuntur. Vnde Athelarius rex Romano Senatu scribit Cassiodori manu & verbis *Lib. 8.*

11. Retinetis, me Senatus semper fons eorum sed nunc maxime, cum vestrum video intrare Collegium. Sicille: qui tandem ita rescriptum claudit. Inter est nostra gloria, vt quorum numerum auximus, eos propria diuinitate tecumur. Hæc ille. Pro quo & extat Regium rescriptum, de quo Dom. Solorzanus Lib. 4. Cap. 9. num. 42. & in Politicâ pag. 867. §. Yt ambo. Circa gradum autem obligationis esse quæstio potest, pro quo

Affertio 1. 60. Dico primò. Proreges sic debent Regios Ministros, & Togatos præ aliis honorare, vt ex honoris defectu possint lethalibus piaculis innodari. Indubitate est doctrina ex obligatione iustitiae, quæ se ad honoris materiam extendit, vt omnes Theologi contestantur. Pro quo præsertim Societatis Scriptores, plurimi sanè, qui rem exactè discutunt, & ex iis videri possunt, qui

In defectu posse mortaliter peccare.

præcesserunt præclarū ducēs P. Molina Tomo 5. Disput. 1. & sequenti. & Disput. 19. vbi specialiter lethalem culpam in hoc genere occurrentem exponit: sicut & Disput. 26. vbi contumeliam, quā generaliter actionem significat honori contraria, grauius peccatum esse ait detractione à tergo facta. Et præterea P. Lessius Libr. 2. Cap. 11. Dubit. 27. Quibus accensendis, inter primarios quidem numerandus Cardinalis Lugo Disput. 1. de Iustitia num. 25. Disput. 14. Sect. 11. Ex quibus & aliis constat Superiores etiam in honore rantes eos qui inferiores sunt, grauiter peccare posse: vnde & de modo restitutionis inquirunt, & variis pro eodem assignant.

Affertio 2. Regula ad grauitatem peccati descendat. Dico secundō. Circa hoc ea esse regula potest, vt tunc graue peccatum reputari debeat, quando attentis circumstantiis contemptus est notabilis, & qui potest in dehonorato grauem dolorem excitat, ad amicitiae dissolutionem sufficientem. Et potest vterius declarari ex doctrina P. Molinae Disput. 19. utrākā numer. 1. vbi obliueriat contumeliam grauius peccatum esse furto, quia damnum infert in bonis maiorum apud homines astimationis. Sicut ergo in materia furti grauiter peccatur ablatione eius quantitatē, quā Doctores diuersimodē assignant, vt non sit necessarium esse excessuum, sed quādam non leue, dum auferitur, inducat: ita cum proportionē de inhonoratione philosophandum; in quo tamen nequit determinatum aliquid designari; vnde ad prudentium est arbitrium in easibus particularibus reuocandum. Illud addendo, ex qualitate personarum in honorationem augeri, & minui; vnde cū Ministrī Regij, Togati præserūt, viri primores sint, eorum in honoratione grauus esse poterit ex actione, quā erga alios leuis possit iudicari.

Cassiodorus specialis, circa quem inquiritur. Iuxta quā id potest in questionem venire, quod in hac Regum Ciuitate ante annos non multos accidit. In publicā enim supplicatione procedens Prorex Regij Senatus comitatu, cū vidisset duos ex Auditoribus, quorum alter ex equestrī erat Diui Iacobi Ordine, communī galero videntes, & non honorario, serico inquam, plicis, & circumligamine curiosius concinnato, eos in ipso maiori foro, spectante multitudine, recedere iussit, & comminatione coēgit, cū rubore pariter & dolore. In quo, quidquid defacto fuerit, & agentis intentione, sed re ipsa tecum dū se spectatā, non videtur de grauitate iniuria posse dubitari, circumstantiis euentū ponderatis: cū præsertim illi reuerenter abnuerent, & occultationem galeri proponerent, aperito capite processuri. Sic enī id, quod minoris reuerentiae videbatur, vitari poterat: quando & addi etiam posset, vbi non esse legem illam de singulari capitī operimento penitus confirmata. Sed confirmata demus, non debuit certe defectus illi tali in honoratione mulētari, quam neque attendebant circumstantes, & ex cuius tolerantiā non poterant scandalum incurrisse. Sic illud Cassiodori accipio Lib. 10. 13. Non debet Senatus corrī, qui debet alios paternā exhortatione moderari. Non inquam debet corrī publicē, & tum dedecoris adiectione: de quo specialiter loquitur rescriptum Regium citatum numer. 59. Moneri cautiū poterant, & id satis vt in poste-

rūm se viri præstantes emendant. Vnde & apud eudem Scriptorem sequitur: Sufficiunt haec nobilibus, sufficiunt ista verecundis. Verba sunt Idem, Theodahadi regis: vt inde Proreges nouerint, quā debeat honoris significatione Regios prosequi Senatorē. Quod & de aliis dictum sit consimilis dignitatis.

CAPVT IX.

Pro iustitia quomodo teneantur Proreges Indici militare.

§. I.

De obligationibus circa commutatiūm.

QVæ ad illam spectant, ab Auditoribus Regiis expedienda frequentiūs sunt, ad quos lites circa ciuilia spectant. Pro quo tamen

Affertio 3. Dicopriūd: Proreges Indici (sicut & alij) ex obligatione iustitia commutatiūm tenentur curare solicite vt ab Auditoribus Regiis commutatiūm item iustitia stabiliatur integritas, partium iuribus obseruatis. Id constat: quia ex officio ad huiusmodi curam adstringuntur, & propterē salarium recipiunt, omnium, quā Rex in toto Coronæ ambitu Ministris soluit, pinguisimum, vt instar operariorū labore pretio accipiēdo studeant exēquare. Pro quo est communis doctrina, vt hærcē hic debeat nullus. Neque enim dici potest ad curiam hoc Auditorum spectare, quorum est conscientia relinquendū. Nam licet verū sit ad eorum curam præcipue pertinere, pro hac tamen curā acuendā, in eorum Præside cura debet superior excubare. Tum temp̄lū eorum aduentū ad tribunal vrgendo, ne de horis ad ius dicendum destinatis id desit spatij, quod expeditioni possit negotiorū obstat. Tum faciendo vt lites iam pridem inchoata, & cum incommodo litigantium interrupta, ante alias terminentur. Tum secretori Auditorū consuetū frequenter assistendo, aut etiam in publicis tribunaliis modum agendi eorum obseruando; vt nullus neque in substantiā, neque in modo, obligationi desit suū: aliquo enim in huiusmodi functionib⁹ committi defectus, frequentes solent litigantium querimonias comp̄bare. Neque est cur iurium ignorantia obtendā, cū obligationis suū nequeant ignorantiā allegare. Praterquam quod id verū, quod à Cassiodoro dictum Lib. 7. 26. verbis illis: Laboriosum quidem, sed non est impossibile iustitiā suā dare mortalibus: quam ita cunctorum sensibus beneficium Divinitatis attribuit, vt & qui nesciunt Iurā, rationem tamen veritatis agnoscent. Sic ille. Quod in Proregibus specialiūs, viris magni frequenter ingenij, & rerum experientiā, atque vnu sapientiū illustrati.

Affertio 2. Dico secundō. Violatio iustitiae in casibus prædictis graue peccatum esse potest, quando scilicet damnum est non exiguum & potest etiam contingere, si, dum Auditoribus suffragia proferentibus, libertatem suffragandi impediāt, voluntatis suā signum verbis aut nutibus exhibentes: pro quo Dom. Solorzonus Lib. 4. Cap. 10. num. 25.

num. 25. & in Politicā Libr. 5. Cap. 8. pag. 817.

S. La Sexta, & seqq. id fortē cauens, quod in Indiis expertus, in quibus Proreges libertus dominatur. Vnde obligatio restitutionis oritur, iuxta Doctores omnes, quod attentis circumstantiis iudicio prudentium liquidandum. Et quod ad salarium atrinet, ex quo id deducendum, quod ob laboris defectū non deberetur, facile potest donatio aliquo, vt de more est, Regi factō, sine honoris iactū compōti. Quidam partes vero lēsas ob multiplicatas impenias, & damna ex priuatione possessionis rei adjudicandā prouenientia, Auditorū conscientia plus grauata: & intricatum nimis negotium erit quid singulis respondeat vestigare. Scire tamen debet hac difficultate non esse penitus ab onere prædicto liberatos; sed, vt dixi, docti Confessarij iudicio ab eo se poterunt, circumstantiis perpensis, expedire. Quod si nimia difficultas rem reddat moraliter impossibilem, aut in opera pia conferant, aut Bullis Compositionis vrantur, vel etiam donatiū Regi faciant in ordine ad bellorum expensas quas cum hæreticis & infidelibus gerit: Sic enim piū dici potest: cū videamus hac de causa Bullam Cruciatē concedi. Pro obligatio-ne autem prædictā videri poslunt Auctores, quos adducit Bassæus V. Restitutio 3. num. 16. In quo & Nauarra non esse immorandum ait Lib. 3. Capite 3. num. 476.

Excusas non mortalis aperiēt in eo culpa. 65 Poterit autem in prædicta causa illud esse leuamini, si Proregis peccatum non sit aper-tē mortale: sic enim iuvari corum sententia potest, qui dicunt solum ex culpa lata, quā Theologice talis est, mortalis scilicet, obligationē restituendi consurgere: quam vt probabilem amplectit Cardinalis Lugo cum aliis Disput. 8. de Iustitia num. 93. & plures apud Bassæus V. Restitutio 1. quos & ille sequitur, probabiliorem affirmans. Quam & amplectit P. Amicus Disput. 20. de Iustitia num. 93. Poterit autem hoc frequenter accidere: quia Principes isti non ita rigidè ad actiones huiusmodi se adstrictos arbitrantur, & ingenitā animi latitudine procedunt: vel non adiūtunt, aut certe non recordantur se plenā cum adiūtentia processisse: vnde licet grauiter re ipsa peccauerint, quia tamen non exacta est talis peccatis recordatio, non debent ad restitutionem durissimum tormentum condemnari. Et pro causa extorti ab Auditoribus suffragiis, addi potest, vix in eo obligationē restituendi futuram, quia lites esse tales solent, vt iudices probabiliter possint pro alterutra parte iudicare, etiam probabiliore relictā opinione, iuxta id quod tenet plures apud Diana Parte 1. Tratt. 13. Resolut. 3. Sicut ergo illi sic iudicando, ad restitutionem non tenentur, ita neque inducens. Vbi & dubitari etiam potest an metus talis sit cadens in constantem virum, cū Senatorē cā debeat autoritate pollere, vt propter Proregis beneplacitūm non debeat à recto deuiare. Hoc ergo sibi Prorex persuadere potest, & ita ostensionem voluntatis suā nūlū injustum à suffragiis extor-sisse. Quod si dubitaret, etiam illi probabilis sententia suffragatur, de qua Diana supra Resolut. 28. pro ea Doctores adducens, & in fine affirmans esse probabilem.

Quid pro extorto ab Auditoribus suffragiis. Non obstat, si quis dicat gubernato-re exercitū commutatiūm pariter admīcert.

67 Neque obstat, si quis dicat gubernato-re exercitū commutatiūm pariter admīcert, cū communia bona distribuit, iustitiam commutatiūm exercere, quia ex pacto cum Republicā, aut Principe, à quibus salarium accipit, tenetur communia bona inter cives cum proportione ad merita dispergit: sicut tenetur operarius iuxta prescriptū domini, supposito pacto, in eius vineā laborare. Dicit enim pōst vtramque locum habere, sed respectu diuersorum: ratione enim officij ex commutatiūm obligatur ei, cum quo pacto præcessit; respectu vero ciuitatis ex distributiūm: vnde si eam violat, tenebitur quidam restituere salarium partē ei, cū quo pactum celebravit; & si supremus sit, nullus non autem ciuib⁹ eo emolumento defraudatis, iuxta communem: sententiam, pro quā videri potest P. Lessius Lib. 2. Cap. 1. num. vlt. Cardinalis Lugo Disput. 3. de Iustitia num. 51. & alij apud ipsos. Neque enim cū officium assumit, majus ciuib⁹ ius acquiritur; sed ille iuxta virtutum debet operari motuā, ad quarum exercitū obligatur. Et ita ad actus religionis, gratitudinis, fortitudinis, & sic de aliis, tenetur: & cū eos exercer, si ad pactionē attendat, iuxta quam obligatio ad illos consurgit, iustitiam com-mutatiūm

S. II. De iustitia distributiūm. Quomodo ergo Benemeritos exercenda, & in Beneficiorum prouisione.

66 **D**ictum de hoc Titulo 1. Cap. 5. & proprius distributiūm iustitiae conceptus explicatus n. 50. vt sit virtus in Superiore refidens, eum ad communium bonorum distributionem inclinans, iuxta merita singulorū, ad quos illa possunt pertinere. Vt enim citato loco dicebam, negari nequit quā respectu talis distributionis aliqua sit constituta virtus, cū sit ad actus honestos, & ad ordinatam vitā rationem maximē necessarius. Hanc ergo virtutem ex ipso actu nomine desumpto distributiūm vocamus; reddit enim ius distribuendo: ergo distributiūm iustitia est, sicut commutatiūm dicitur, quā circa commutations exercetur. Quod si dicatur honestum quidem esse actum illum, & ad iustitiam spectare, non tamen esse distributiūm propriū, prout contra commutatiūm ab Aristotele & aliis diuisa reperitur: id equidem nequit verosimiliter sustineri: quia si dicens cōuenientia nō nominis iuxta propriam significationē ad alia distractit, de quibus nequit propriè affirmari: distributionem enuntiat de eo, in quo distributione non est: tum etiam quia actus dictus propriæ iustitiae est, & non commutatiūm vt patet: neque distributiūm, vt assurit: neque vindicatiū, vt est evidens: neque legalis; quia quāmodocumq; explicetur (est enim multiplex eam explicandi modus) non versatur circa communium bonorum distributionem, meritis singulorū attentis; ergo altera debet species iustitiae constitui, quam Philosophi & Theologi huc vīque penitus ignorarunt. Et id quidem sine causa, cū explicari conuenientissimē possit iuxta propositam rationem.

Distributiūm iustitiae conceptus explicatus.

67 Neque obstat, si quis dicat gubernato-re exercitū commutatiūm pariter admīcert, cū communia bona distribuit, iustitiam commutatiūm exercere, quia ex pacto cum Republicā, aut Principe, à quibus salarium accipit, tenetur communia bona inter cives cum proportione ad merita dispergit: sicut tenetur operarius iuxta prescriptū domini, supposito pacto, in eius vineā laborare. Dicit enim pōst vtramque locum habere, sed respectu diuersorum: ratione enim officij ex commutatiūm obligatur ei, cum quo pacto præcessit; respectu vero ciuitatis ex distributiūm: vnde si eam violat, tenebitur quidam restituere salarium partē ei, cū quo pactum celebravit; & si supremus sit, nullus non autem ciuib⁹ eo emolumento defraudatis, iuxta communem: sententiam, pro quā videri potest P. Lessius Lib. 2. Cap. 1. num. vlt. Cardinalis Lugo Disput. 3. de Iustitia num. 51. & alij apud ipsos. Neque enim cū officium assumit, majus ciuib⁹ ius acquiritur; sed ille iuxta virtutum debet operari motuā, ad quarum exercitū obligatur. Et ita ad actus religionis, gratitudinis, fortitudinis, & sic de aliis, tenetur: & cū eos exercer, si ad pactionē attendat, iuxta quam obligatio ad illos consurgit, iustitiam com-mutatiūm